



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Dvbivm I. An præceptum de soluendis decimis possit contraria
consuetudine abrogari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

iuxta determinationē quantitatis, quæ habetur in iure diuino, quanquam non ex vi iuris diuini, sed ex vi iuris Ecclesiastici; & hoc modo intelligi debent verba capituli, in aliquibus, de decimis, quæ talia sunt: *Illæ quippe decimæ necessariæ soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina, & loci consuetudine approbata.* Est enim sensus; Illæ decimæ necessariæ soluendæ sunt, quæ debentur, vel iuxta quantitatem lege diuina determinatam, quam Ecclesia in nouauit; ut fit, ubi soluentur integræ decimæ; vel iuxta quantitatem consuetudine loci determinatam; ut fit, ubi soluitur minus quam decima, & tamen vocatur decima. Et nota ex hoc textu, quod Canonistæ maximè nituntur, sumi argumentum optimū contra ipsos; Si enim decimæ quoad quantitatem deberentur iure diuino, ubiq; integræ soluendæ essent, nec diceret textus iste, alicubi debere solui iuxta consuetudinem. Atque hanc erroribus. Sequitur ut dubia quædam explicemus.

DVBIVM PRIMVM.

An præceptum de soluendis decimis possit contraria consuetudine abrogari.

RESPONDEO, certum est, præceptum de soluendis decimis, qua parte diuinum & naturale est, non posse vlla lege humana vel cōsuetudine contraria aboleri: Ac proinde certum est, Ecclesiam habere ius petendi decimas, etiam ubi consuetudo est vt non soluantur; In hoc enim omnes Theologi & Canonistæ conueniunt. Dubium autem est, an præceptum de decimis, quatenus positium, & humanum est, possit mutari consuetudine. Sotus lib. 9. quæst. 4. art. 1. de iustitia, dicit non posse, & hanc putat mentem esse B. Thomæ.

Contrarium puto verum cum Syluestro, verbo Decima, q. 4. & Nauarro cap. 21 Num. 28. Nec dubito hanc esse mentem B. Thomæ; nam B. Thomas in 2. 2. quæst. 87. art. 1. docet, præceptum de decimis, quatenus humanum est, posse ab Ecclesia mutari, ita vt teneatur populus nō decimam, sed duodecimam, vel octauam soluere; At non minorem vim habet consuetudo legitimè præscripta, quam lex quælibet humana.

na, vt, cum ceteris, docet ipse etiam Sotus lib. 1. q. 7. art. 2. de iustitia. Præterea B. Thomas quodlib. 2. art. 8. posteaquam docuit cōsuetudine nunquam abrogari legem de soluendis decimis, subiungit rationem, quia lex ista diuina & naturalis est; ergo B. Thomas non negat legem de decimis, quatenus Ecclesiastica est, posse mutari consuetudine, sed solum quatenus naturalis, & diuina est.

His accedit cap. In aliquibus, de decimis, vbi dicitur soluendas esse decimas secundum determinationem aut legis diuinæ, aut consuetudinis approbatæ. Hic tamen obseruandum est, quod sicut consuetudo tollit legē, ita lex tollit consuetudinē, si iustis de causis feratur ab eo, qui habet auctoritatem: Itaq; vbi nunc est consuetudo soluendi solum tricesimam aut quinquagesimam, loco decimæ, non tenentur soluere quidquā amplius; tamen si nunc Pontifex, aut Concilium iustis de causis iterum legem ferat, vt integræ decimæ soluantur vbique, non obstante consuetudine, sine dubio tenerentur omnes soluere; sicut omnium iudicio tenentur soluere, qui in eis locis agunt, vbi nō est consuetudo soluendi minus, quā decimam.

DVBIUM SECUNDUM.

An Laici pauperes teneantur decimas dare Clericis diuitibus.



ARTIO dubitationis est, quia sicut laicus tenetur alere Sacerdotē, quia Sacerdos est, ita Sacerdos tenetur alere laicum, quia pauper est.

Respondet B. Thomas quodlib. 6. art. 10. sine dubio debere pauperem laicum dare decimas Clerico diuiti, quia obligatio decimarum ad iustitiam commutativam pertinet, in qua non consideratur conditio personæ, sed æqualitas rei ad rem; qui enim verbi gratia emit, debet soluere quantum res valet, siue ipse sit diues, siue pauper. Neque argumentum in contrarium valet, quia non tenetur

Clericus hunc pauperem potius alere,
quā alium.

KKk 4

DVBIUM